

Karl Franz Christian Wagner

**Memoriae ... Ioannis Gundlachii, ... Physices Mathezeosque Professoris Publici
Ordinarii ... Academiae Marburgensis Auctoritate Et Nomine Hasce Plagulas**

Marburg[i]: Krieger, 1819

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755487397>

Druck Freier  Zugang





II - 1629 17.

MEMORIAE
VIRI EXCELLENTISSIMI
IOANNIS GUNDLACHII,
PHILOSOPHIAE DOCTORIS, PHYSICES MATHESEOSQUE PROFESSORIS
PUBLICI ORDINARIII, ATQUE INSTITUTI MATHEMATICI DIRECTORIS
ACADEMIAE MARBURGENSIS

AUCTORITATE ET NOMINE

HASCE PLAGULAS

DICAVIT

CAR. FRANC. CHRIST. WAGNER

PHIL. D. LITERARUM GRAECARUM LATINARUMQUE, NEC NON
ELOQUENTIAE ET POESEOS PROFESSOR PUBLICUS ORDINA-
RIUS, SOCIETATISQUE RERUM NATURALIUM STUDIO-
SAE MARBURGENSIS SODALIS EXTRAORDINARIUS.

MARBURGI,

TYPIS KRIEGERIANIS MDCCCXIX.

Ruhkopfis v. C.
C. B. D.

auctor.

Dupl. II-1629. 17.

MEMORIAL
IN ALEXANDRIAN
JOANNIS GUNDLAUCHI

PHYSICIST DOCTORIS THESES MATHEMATICAE INSTITUTIONES
THERMICOCHIMICAE ET ALIAE MATHEMATICAE ET PHYSICOCHIMICAE

ACADEMIAE MARBURGENSIS

ADOLENTIS NOMINA

1755. 1. 10. 1755.

CHRISTIAN. CHRISTIAN. MEGEVE

THESES MATHEMATICAE INSTITUTIONES
THERMICOCHIMICAE ET ALIAE MATHEMATICAE ET PHYSICOCHIMICAE

boe corporisq; et distemperis
anneguntur. tunc multo prout conditissimo exponitur
est, ut in aliis corporisq; membris immixtis
membrisq; corporisq; etiam in aliis corporisq;
membrisq; corporisq; membrisq; corporisq;
Ratio, quam cultores literarum in earum studiis se-
quantur, fered triplex est: aut enim id sibi tantum-
modo propositum habent, ut suum ipsorum animum
illis in dies magis magisque excolant, aut simul in
eo laborant, ut se idoneos reddant, qui, quae didice-
rint, aliis tradendo doctrinae lucem latius latiusque
spargant diffundantque, aut vero tandem omnes indu-
striae vires eo conferunt, ut disciplinarum terminos,
quantum fieri potest, promovendo, novisque ac praec-
claris illas ditando inventis, sive etiam scriptis, sen-
tentiarum vi stilique elegantia excellentibus, compo-
nendis edendisque immortalē sibi concilient famam
gloriamque. Quarum sane rationum postremam prae-
clarissimam esse, haud quemquam credimus futurum
esse, qui dubitet: non enim illa viris solum in-

genio doctrinaque eminentibus praestantibusque, sed ipsis quoque civitatibus, in quarum sinu hi degunt, maximam pariunt laudem gloriamque, ita ut has saepissime, operis cuiusdam omnibus partibus perfecti auctor unde oriundus esset, si minus constaret, id magna posuisse in contentione traditum legamus, cui earum illum sibi civem vindicandi ius esset. Quid, ipse Homerus, nonne septem fuere urbes, quae inter se contenderent, qua natus esset? Quanti vero semper viri ingenii dotibus doctrinaeque laude reliquos superantes vel a terrarum victoribus facti sint, ipsius Ciceronis nos docet exemplum, quem Pompeianas partes secutum C. Caesar post Pharsalicum proelium non modo in gratiam recepit, sed deinde quoque perpetuo et coluit, et singulari humanitate complexus est, affirmans, illum omnium triumphorum laurea esse dignum, cum nimirum multo praeclarior sit, ingenii et Romanae linguae terminos, quam imperii fines promovere. Quid Keplerus, quid Newtonius, aliquie id genus viri, quorum memoriam, dum doctrinae solidioris vigebit studium, nulla unquam abolebit yetustas,

quis est, qui eorum recordetur, neque talium nominum admiratione adficiatur maxima, cum, Cicerone teste *), quidquid excellit, iustum plane habeat admirationem? Neque tamen ii debita sunt fraudandi laude, qui aliis docendis instituendisque de republica literaria optime student mereri, atque in id enixe incumbunt, ut non solum scholarum suarum subtilitate atque elegantia numerus eorum, literas artesque colendi studio qui tenentur, simulque igitur harum ipsarum splendor in dies augeatur, sed ex ipsorum quoque disciplina viri prodeant ita instructi informatique, ut vel ad publica negotia accedentes maximas civibus utilitates adferant, vel scriptis meritorum in rempublicam literariam amplitudine tam suum ipsorum, quam patriae, illuminent nomen. Quod quidem quamvis in eos potissimum valere videatur, abstrusiora disciplinarum praecepta qui explicant, longissime tamen aberrarent a vero, qui eos iudicarent lauria prorsus indignos, disciplinarum elementa qui tra-

*) De Nat. Deor. I, 17, 45.

dunt; quorum sane labores, fieri potest, ut civium quoque academicorum studia iuvent, atque in ipsis literarum Universitatibus haud sint sine fructu. Verum enim vero id praecipue in Mathesin cadere, neminem profecto latebit, qui puerorum instituendorum rationis, quam plerisque in scholis sequuntur, non omnino ignarus est. Eorum enim, qui Academicorum studiorum spatia ingrediuntur, profecto perpauci sunt, qui illius disciplinae elementis ita sint imbuti, ut eis praelectionibus cum aliquo fructu interesse possint, quibus abstrusiores ipsius reconditioresque traduntur doctrinae. Iam vero cum nulla fere inveniri possit disciplina, quae magis, quam Mathesis, ad verum intelligendum mentem exacuat, atque ad percipiendi celeritatem promovendam efficacior sit, unde Quintilianus quoque eam teneris aetatibus iudicavit utilissimam *), ii profecto, qui illius disciplinae elementa in Universitatibus literariis docendi munus suscipiunt, omni laude et commendatione dignissimi sunt;

*) Institut. Orat. I, 10.

eoque nomine iam est, quod nos quoque doleamus,
uxori liberisque amatissimis acerbo fato ademtum esse

IOANNEM GUNDLACHIUM,

PHILOSOPHIAE DOCTOREM, PHYSICES MATHESEOSQUE PRO-
FESSOREM PUBLICUM ORDINARIUM, ATQUE INSTITUTI
MATHEMATICI DIRECTOREM.

Natus vero est *Gundlachius* Allendorfii, in Hassia inferiori ad Werram sito, die x. mensis Decembris, anno superioris saeculi LXIII, patre Ioanne Philippo, qui ibi publici, civitatisque nomine constituti, tutoris munere fungebatur. At enim vero ut eius educandi instituendique curam pater ipse sustineret, haud erat in fatis; teneram enim *Noster* cum adhuc ageret aetatem, illo, qui quinquagesimum nondum egressus erat annum, orbatus, atque omnibus illis rebus adversis sinistrisque casibus expositus est, quibus orborum sors conditioque reddi solet tristissima. Unde vero maximum ad totam eius vitam redundaret incommodum, id erat, quod iam quidem eius educendi animumque conformandi ratio nullis regulis erat adstricta, ipse-

que a teneris fere continua casuum iactaretur varieta-
te. Initio quidem eius avunculus, cui nomen Hau-
sius, qui Allendorfii aerario praeerat, ipsum in schola
fingendum, atque etiam privatim erudiendum curabat;
at vero bello inter Americae septentrionalis incolas
Anglosque flagrante, cum principum Germanorum
nonnulli his auxilia mitterent, ille vano timore cor-
reptus, ne *Noster* quoque longinquo illi itineri mari-
timo se committere cogeretur, ipsi auctor fuit, ut se
conferret Hamburgum, ubi eius patruus sibi domici-
lium suarumque fortunarum sedem constituerat, offici-
nam instruxerat, atque mercaturam faciendo suspen-
tabat vitam. Hic quidem quam maxime laetabatur,
certior cum esset factus, fratri sui quondam amatis-
simi filium apud animum statuisse, ut mercaturaे se
addiceret: benevolentissimo igitur et amicissimo ipsum
excipiens animo, ad eum re mercatoria initandum
se praebebat paratum. Septem postquam *Noster* hac
ratione apud patrum commoratus esset annos, om-
nesque, quae ad mercaturam cum fructu faciendam
scitu necessariae sunt, res optime calleret, in patriam

reversus est, haudquaquam vero eo consilio, ut mercatura exercenda vitam toleraret, sed bonis ut iterum operam daret artibus, quarum studio tenebatur quam maxime. Inprimis vero artis pictoriae trahebatur amore, eique igitur totum se tradere tum quidem constituebat; et profecto est, quod animi eius firmitatem constantiamque miremur, qui nullis impedimentis obstatulisque, nec eo ipso, quod omnibus praesidiis esset destitutus, neque quidquam haberet, quo vitam tueretur, tamen a consilio, quod ceperat, exsequendo haudquaquam posset deterri. Iam quidem urbem circumspicienti, pingendi artificibus doctoribusque, quibus praeeuntibus artis, cui se addixerat, accuratius ediscendae copiam haberet, celebrem, ubique viendis picturis imaginibusque, contemplandaque aliorum artificum subtilitate et solertia pulchri sensum acueret, non potuit fieri, quin Cassellae se offerrent, quae urbs cuiusvis generis pictorum frequentia esset ornatissima. Illuc igitur se conferebat; cumque in primis, ut forma minuta pingendo excelleret, maximo opere adniteretur, brevi tempore eo pervenit, ut non

solum hominis speciem, eamque vere et accurate exprimendi facultate vigeret, sed alios quoque hac arte instituendi provinciam suscipere posset. Hac ratione *Gundlachii* usibus, dum caelebs esset, prorsus provisum erat, atque, unde viveret, ei large suppetebat; nec fortasse ad vitae institutum mutandum induci potuisset, nisi literae a patruorum suorum altero, cui praenomen **Christiano**, ad eum allatae maiorum etiam commodorum ipsi spem fecissent exspectationemque. Hic nimirum, Crucenaci qui rebus suis sedem constituerat, fructuosamque ibi exercebat mercaturam, *Nostrum*, ut apud se diversaretur, invitarat, fide data, se, quocunque modo id fieri posset, ipsius commodis esse consulturum: illoque tum, qui vegeto et ad fortunam tentandam promto esset ingenio, auctore hortatoreque *Gundlachius* Marburgum se conferendi oeconomiaeque publicae operam dandi capiebat consilium. Annū igitur aetatis agens vicesimum quintum *) Academicorum studiorum spatia ingressus, per tres, et

*) Anno superioris saeculi LXXXVIII.

quod excurrit, annos, *Iungio*, ad quem literas a patruo
adtulerat, cuique ab hoc de meliore nota erat commen-
datus, faute ore adiutoreque tantum studium tantamque
operam in omnibus, quibus oeconomia publica conti-
netur, posuit doctrinis, ut cum anno xci die xxiv
mensis Septembris instituti Politico-Oeconomici, cui
tum temporis *Moenchius* praeerat, membris se obtu-
lisset explorandum, ab his, qui non solum ob morum
probitatem atque eam, quam in literis tractandis ad-
hibuisset, diligentiam, sed ob doctrinam quoque, qua
animum excoluissest subegissetque, non sine magnis
laudibus dimitteretur, iudicaretur dignus *). *Nostrum*

*) Verba testimonii, quo ornatus est, haec sunt: Herr Stud. Joha-
nes Gundlach, gebürtig aus Allendorf in den Soden, hat hier drei
Jahre studiert, und sich besonders der Staatswirthschaft gewidmet,
die dahin einschlagenden Vorlesungen gehört und fleissig besucht.
In seiner mit ihm von uns am 24sten dieses angestellten Prüfung
hat er ungemein gute Kenntnisse in allen, und besonders die
Staatswirthschaft betreffenden, Wissenschaften gezeigt, und die an
ihn daraus gethanen Fragen mit großer Genauigkeit und Richtig-
keit beantwortet, so dass wir ihn, wie hierdurch geschiehet, un-
sern Pflichten gemäss bestens empfehlen können, zumal da er ne-

autem revera diligentissimum fuisse, atque doctrinae studiis quam maxime deditum, id quidem inde prorsus manifestum est, quod per eos, quos in hac nostra Universitate literaria commoratus est, annos non solum ipse paelectionibus eis, quae ad optatam eum deducere possent metu, sedulo interesse nunquam cessavit, sed aliis quoque instituendis sibi paravit, quo et suis ipsius consuleret necessitatibus, et fratum suorum inopiam sublevaret.

Studiorum Academicorum cursu hac ratione non sine laude absoluto, *Noster* primum ad eum, cuius supra mentionem fecimus, in Palatinatu qui degebat, se contulit patrum: unumque postquam apud eum annum et sex menses commoratus erat, Hamburgum

ben seinem Fleisse und gesammelten Kenntnissen sich immer sittsam und anständig betragen hat. Marburg am 28sten September
1791.

Mönch.

Legerunt vero hocce testimonium, idque se adprobare nominibus suis adscriptis testati sunt, *Robertus*, *Buschius*, *Stegmannus*, *Curtius*, *Tungius* atque *Schleicherus*.

petiit: inde vero haud ita multo post ad urbem natam reversus, privatas ibi aperuit scholas, iisque habendis vitam sustentavit, usque dum a Viro Perillustri de Berlepsch, nuper fato functo, ut eius librorum erudiendorum instituendorumque susciperet provinciam, evocaretur. At enim vero huic provinciae haud praefuit diu: nam cum L. B. de Berlepsch illo ipso tempore, ut *Gundlachius* in brevi, quam, ut continuationi operis Striederi praeclarissimi insereretur, scriptam reliquit de vita rebusque suis narratione, unde haec ex parte depromta sunt, ipse refert, cum Electore Brunsuigo-Luneburgensi iudicio certaret, et ei illam omnibus notissimam intendisset litem, propter eaque viro ipsi opus esset iuris atque legum haud ignaro, cuius quotidiana consuetudine consiliisque uteatur, ut eiusmodi virum in eius locum substitueret, *Nostrum* ille dimisit.

Iam vero *Gundlachius* Cassellas reversus cum Schaubio, Electori Augustissimo qui a consiliis metallorum erat supremis, scholas aperiebat *Chemico-Physico-Mathematicas*; quibus ut domesticis curis exsolutus

omnem suam impendere posset operam laboremque,
anno superioris saeculi xcviⁱⁱ) Christinam e gente
Rethberga, Hannovera oriundam, duxit uxorem, quae
nunc vidua, cum quatuor, quos *Noster* sibi supersti-
tes reliquit, ad maturiorem aetatem nondum perduc-
tis, paternamque curam maximopere adhuc desideran-
tibus, filiis et una filia, acerbam eius luget deplorat-
que mortem.

Illis, quas diximus, scholis habendis, haud diu-
erat, ex quo *Noster* operam suam navasset, cum ar-
tis metallorum rerumque ad saltus pertinentium alum-
norum instituendorum muneri admoveretur; cui pro-
vinciae ipse tam gnaviter praefuit strenueque, ut post
aliquot annos non solum, cui annum stipendum pu-
blice solveretur, sed qui etiam Professoris titulo or-
naretur **), iudicaretur dignus. Ita quidem *Gundla-
chius*, etsi eius conditio non ea esset, ut res dome-
sticas lautius posset tueri, tamen haud egebat eis,

*) D. VII. Iannarii.

**) Anno huius saeculi III.

quae ad vitam tolerandam suosque sustentandos atque fovendos essent necessaria. At enim vero iam instabat tempus illud atrocis infaustumque, quo, sicut ipsarum civitatum, ita singulorum etiam civium res fortunatae ut subverterentur, erat in fatis; eamque sortem *Noster* quoque habuit acerbissimam. Cum nimis Franco-Galli cruenta illa victoria, qua se terrarum dominos factos esse autumabant, nimium quantum superbientes atque insolentia efferati praeter omnne ius gentium has quoque terras, quae Augustissimi nostri Clementissimique Principis miti imperio tenentur, invasissent, atque omnes, qui iuventae flore vi-gerent, ut Franco-Gallorum sequerentur castra, invi-tarentur, eorum, ipsius qui scholis uterentur, numerus diminuebatur in dies. Iam tandem Academiarum universaeque institutionis publicae cura in manus ve-nerat Ioannis de Mueller: qui quidem, de difficultibus, quibus *Noster* adfligebatur, certior factus, spem ei ostendebat, fore ut in Lyceo, quod Cassellis flo-ret, numeros tractandi doctrinam, Mathesin puram atque Physicen experimentalem tradendi munere ite-

rum ornaretur, quo cum antea iam per aliquod tempus esset functus, ut fructuosioribus illis, quas diximus, occupationibus vacaret, se abdicaverat. Haec vero spes eum frustrata est: anno enim huius saeculi viii. Muellerus, infelici quodam fato ductus, ipsi Matthesin Physicenque in hac nostra literarum Universitate docendi provinciam censebat tradendam.

Nihil profecto est, quod ad Universitatum literiarum celebritatem plus adferat momenti, quam ut non nisi eiusmodi viri Professoris cathedra ornentur, qui et ingenii dotibus, et doctrinae eruditionisque fama quam maxime excellunt. Quod quidem si in omnes valet disciplinas, multo etiam magis in eas cadit, quae non ad quaestum referuntur, quibusque ut cives academicci operam dent, si modo in tam vasto disciplinarum ambitu nimis arctis stadii Academiçi limitibus plerumque circumscripto, id ut faciant, iis omnino licet, doctrinae eruditionisque eorum, illas qui tradunt, praestantia allici debent incitarique. Verum enim vero hi ut ea, quam profitentur, disciplina sint politissimi, atque doctrinae copia elegantiaque merito

celebratissimi, in eam omne suum studium ut conferant atque etiam conferre possint, prorsus necesse est. Huic igitur rei providendum est; atque hac ipsa re, nec nisi ea, Universitas illa literaria, quae Goettingae floret, quam Munchhusius sapientiae iudiciique sui probe subacti monumentum reliquit aere perennius *),

*) „Perlato ad nos, inquit Heynus ad Virg. Aen. IV, 654., dum haec in manibus sunt, gravissimo nuntio de morte *Munchhusii*, immortalis viri, cum percussus ingenti luctu animus vix ulterius progredi in opere potest, dolori nostro vel alieno loco paullum indulgere licet. *Vixit et Is, vixit, et cursum*, at quam gloriosum! quam ad omnem posteritatis memoriam memorabilem! *peregit*. Poterat et *Munchhusius* suo iure Didonis verbis uti: *Et nunc magna mei sub terras ibit imago*; quam enim maiorem Umbram inveniat inter eos, qui vitam excoluere per artis, *Quique sui memores alios fecere merendo* (Aen. VI, 663. 664.)? *Urbem praeclaram statui: mea moenia vidi*. Quid enim? Vedit Georgiam Augustam suam.“ Quibus quidem verbis in novissima Virgilii editione haec addit: „Relinquo hunc locum a. LXX perscriptum in hac recensione intactum, ut, quantum per me fieri possit, *Munchhusii* nominis caritate etiam tenelli animi imbuantur. Si quid fructus et utilitatis ex hac poetae interpretatione ad vos redit, o boni, etiam eius partem aliquam isti viro vos debere putate. Nunc — ut cum Statio loquar — *Inferior volat umbra deo.*“

tam exiguo temporis spatio tantam assequuta est celebritatem, atque ad summum fere gloriae pervenit fastigium. Quod profecto Muellerum cum minime fugeret, qui et ipse Professoris munere functus esset, et, si quis alias, optime perspiceret, quantum in disciplinarum quaque ponderis sit, vix videtur excusari posse, quod *Nostrum* Mathesin Physicenque in hac nostra Academia tradendi provinciae praeficeret, atque praeterea eius stipendii, quod harum terrarum Princeps legitimus, Elector Augustissimus Clementissimusque, *Nostri* antecessori dederat, ipsi ne dimidium quidem solvi iuberet: unde tantum aberat, ut liberalius vivere potuisset, ut ea, quae haberet, ne parce quidem vitam instituenti ad hanc sufficerent alendam. Haud quidem negari potest, in Matheseos elementis tradendis *Gundlachium* optime fuisse versatum, eaque clare, plane atque distinete proposuisse explicasseque, ita ut ii, illis qui cuperent institui, non sine fructu ipsius preelectionibus interessent: at enim vero id ad eruditionis doctrinaeque famam Professori Academico conficiendam haudquaquam satis est. Illam qui appe-

tunt, in eius, quam tractant, disciplinae totum animo complecti debent ambitum: praeterea que ut illis, quibus omnis doctrina solidior tanquam firmissimo fundamento nititur, non leviter imbuti sint literis, prorsus necesse est. *Nostrum* vero animum literis humioribus non omnino politum habuisse atque exercitatum, quis est, qui miretur, iuvenilis eius aetas, qua fere sola in illis quidquam proficere possumus, cum longe alienissimis consumta sit occupationibus? Verum enim vero cur Muellerus temporibus illis tristibus gravibusque, cum homo cuvis libidinum generi deditus et dissolutissimus harum terrarum teneret imperium, atque reditus publicos longe diverso usui destinatos luxuriae indulgendo effunderet disperderetque, cur igitur tum vir ille tot nominibus celebratissimus *Nostro* in constituendo stipendio parcum se exhibuerit tenacemque, id profecto intellectu difficillimum est. Aut enim ipsum non fugiebat, *Gundlachium* non eum esse, qui Professoris Academici munus omnino sustinere posset; et tum certe reprehendendus erat in eo, quod ipsum non, mathematicas disci-

plinas in Lyceo tradendi provincia ornatum, cui pro-
fecto non sine honore praefuisset, retineret Cassellis,
ubi iis, quibus imbutus erat, artibus vitae tuendae
opportunitatem habebat longe maiorem: aut vero ip-
sum, Professoris Academici cathedram qui ascenderet,
credebat idoneum; hanc autem si fovebat opinionem,
non debuissest non ei idem constituere stipendium,
quod eius antecessori Principi nostri Augustissimi
iussu erat persolutum. Ut preelectionibus habendis
Noster ea sibi pararet, quae ad se suosque sustentan-
dos fuissent suffectura, id profecto is haudquaquam
sperare poterat, quem non latebat, eorum, literis qui
operam dant, quae non ad quaestum referuntur, nu-
merum perexiguum esse; libris vero scribendis neces-
sitatisbus suis is profecto non consulere potest, mathe-
maticas artes qui profitetur, cum, quam illae pree-
bent, scribendi materia, nisi quis saepius cocta recon-
quere velit, haudquaquam multiplex sit variaque. Et
sane, etiamsi ad Universitatum literarum celebritatem
nihil maioris momenti sit, quam ut Professores Aca-
demici libros ab argumenti novitate, sententiarum gra-

vitate orationisque elegantia quam maxime commendandos in lucem edant, atque ita et suae ipsorum, et Universitatis literariae, in qua docendi provinciam obtinent, consulant famae, haudquaquam tamen optandum est, ut rerum suarum ratione coacti semper in scribendis libris occupati sint: qui enim fieri potest, quin tum vel in preelectionibus habendis remissiores se preebeant, vel, quibus incrementis disciplinarum singulae auctae sint atque in dies fere augeantur, ignari res in medium proferant vulgares tritissimasque, vel tandem ea, in qua ipsi elaborare, cuique curam suam impendere iussi sunt, disciplina neglecta ad omnia alia, quae ipsis fructuosiora videantur, se convertant confugiantque. Verum enim vero *Noster* cum Professoris munere in hac nostra Universitate literaria ornaretur gravissimis illis temporibus, quibus omnia conspirabant ad literas earumque cultores evertendos, quid mirum, eum, tot aliis oppressum curis, vel ipsum scribendi studium prorsus deposuisse, cum antea duobus saltem libellis, quos in lucem edidit *),

*) Latent tamen in eius scriniis, ut ipse in narratione de vita sua

assiduitatis, qua literas tractaret, exhibuisset documentum. Inscripti vero sunt illi:

1) *Kurze und deutliche Darstellung der Mängel und Vortheile, welche bei der Wasser- und Landröste des Flachses obwalten, und welche von beiden Arten den Vorzug verdient. Zur Beherzigung für den Kurhessischen Landmann.* Cassel, 1804.

2) *Kleine Sammlung Algebraischer Aufgaben und deren Auflösung vom 1ten, 2ten und 3ten Grad. Zum Gebrauch für Lehrer und Anfänger dieser Wissenschaft.* Cassel, 1804. *Auf Kosten und im Verlag des Verfassers.* Horum libellorum primum auctore et adhortatore Spindlero scripserat, Electori Augustissimo a consiliis qui erat vectigalium, illumque in suum usum convertere statuerat.

Re Gundlachii familiari in dies iam magis magis-

supra memorata adfirmat, scripta quaedam, quae quo minus emitteret, bibliopolarum tergiversationibus se ait esse impeditum. Quaedam quoque commentationes a Gundlachio conscriptae extare dicuntur in libro inscripto: *Mathematisches Magazin, herausgegeben von H. W. Kraushaar.* Lips. Barth. 1804. 8.

que corruente, rationibusque eius prorsus turbatis, ad eam miseram tandem cum ipse redactum se vide-ret conditionem, quae ei, idque non sine causa, iniiceret metum, ne suis alendis sustentandisque non amplius par esset futurus, qui fieri potuit, quin animus eius moeroribus exederetur, atque maximis conficeretur curis gravissimisque? Omnem nunc quidem hilaritatem, quae quandam eius frontem explicaverat, ipsi erectam esse, ex tristi eius incessu, atque ex oris apparebat lineamentis, quae angoris, quo animus eius erat implicatus, significationem p[re]ae se ferebant: nec profecto cuiquam admirationem iniciet, virum tanto-pere afflictum, quamvis natura animo esset aequo, tamen non semper eum mentis quietum atque ab omnibus perturbationibus vacuum obtinuisse statum, quo ex sapientum sententia omnis vitae felicitas nititur. Neque vero animus eius solum illis frangebatur curis, sed sensim hae corporis quoque elidebant vires, cuius tandem illae, unde vita maxime pendet, adfie-bantur partes. In dies fere tum animi corporisque diminuebatur vigor: qui si interdum membris redire

videbatur, flammae ad instar id erat, quae cum in eo est, defectu alimentorum ut extinguitur, iterato primum emicat, tum vero concidit prorsus. Elector quidem Augustissimus, de misera *Gundlachii* conditione certior factus, pro clementia sua inopiae eius stipendio aucto mederi decreverat: at enim vero laetus hic cum ad *Nostrum* deferretur nuntius, praecordiis iam conceptam continebat mortem; paucissimisque diebus post, et vitae et misericordiarum ei aderat finis. Extinctus vero est d. xvi. mensis Februarii, atque Aristidis fere instar in ea decessit paupertate, ut non reliquerit, qui efferretur.

Nos autem defunctum luctu prosequamur lacrimisque, ipsumque aeternum salvere, aeternumque valere iubentes, optemus, ut eius, qui, dum in vivis esset, tot rebus adversis conflictabatur, iam super ossa terra sit levis.


Dab. in Universitate literaria Marburgensi d. xvi. mensis Martii MDCCXIX.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/pnn755487397/phys_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn755487397/phys_0028)

que a teneris fere continua casuum iactaret te. Initio quidem eius avunculus, cui nos sius, qui Allendorfi aerario praeerat, ipsum fingendum, atque etiam privatim erudiendum at vero bello inter Americae septentrionalis Anglosque flagrante, cum principum Germanorum nulli his auxilia mitterent, ille vano timore, ne *Noster* quoque longinquo illi imminentio se committere cogeretur, ipsi auctor conferret Hamburgum, ubi eius patruus silium suarumque fortunarum sedem constitutam instruxerat, atque mercaturam facieret tabat vitam. Hic quidem quam maxime certior cum esset factus, fratri sui quondam simi filium apud animum statuisse, ut meum addiceret: benevolentissimo igitur et amicissimo excipiens animo, ad eum re mercatoria se praebebat paratum. Septem postquam ratione apud patrum commoratus esset annesque, quae ad mercaturam cum fructu scitu necessariae sunt, res optime calleret,



VierFarbSelector Standard • Euroskala Offset

reversus est, haudquaquam vero eo consilio, ut mercatura exercenda vitam toleraret, sed bonis ut iterum operam daret artibus, quarum studio tenebatur quam maxime. Inprimis vero artis pictoriae trahebatur amore, eique igitur totum se tradere tum quidem constituebat; et profitt, quod animi eius firmitatem constantiam qui nullis impedimentis obstatun uod omnibus praesidiis estit am haberet, quo vitam cuperat, exsequendo Iam quidem urbem s doctoribusque, addixerat, accurasque, celebrem, ubique vi- runt, contemplandaque aliorum initate et solertia pulchri sensum acuerunt, potuit fieri, quin Cassellae se offerrent, quae in cuiusvis generis pictorum frequentia esset ornatissima. Illuc igitur se conferebat; cumque in primis, ut forma minuta pingendo excelleret, maximo opere adniteretur, brevi tempore eo pervenit, ut non